



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 190. Italia ob Ducatum Mediolanensem turbata

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.  
A.C. 1448.

## §. CXC.

*Italia ob Ducatum Mediolanensem turbata.*

Italia quoque ac præcipue Longobardia acriter bello implicabatur; Rex enim Alphonsus, Veneti, Aurelianensis, & Sabaudus Duces, necnon Ferdinandus Sforzia de Mediolanensi Ducatu contendebant. Carolus Aureliae Dux ex pacti tabulis cum Valentina Matre sua defunctique Ducis sorore erectis Principatus hujus jura ad se devoluta asserebat, quo circa copias suas Mediolano admovit. Ast cum Mediolanenses fese in libertatem asserevehementer optarent, nonnisi Astensem Comitatum armis suis subjicere poterat, Competitorum, quorum quisque in propria ditione bella gerebat, numero & potentia fractus. Inde initium fecere malis, tamque atrocibus turbis, ut illi, qui mortem Philippi Ducis paulo ante ardentius concupierant, jam vivum summis votis desiderarent. Papa pacis studiosissimus, ut diffidia componeret, atque inter Principes concordiam revocaret, nil intentatum reliquit, in Deique clementia opera quæsivit, quem ut ob peccata populi ad iram merito concitatum, & jamjam biennali peste reos castigantem placaret, publicas decrevit supplicationes,

quibus

quibus ipse Sanctissimam Eucharistiam Sæcul. XV.  
circumferens interfuit. Verum armis lis A.C. 1448.  
dirimi debuit, & Mediolanensis Ducatus  
fortiori cessit.

§. CXCI.

*Ordo Militaris crescentis Lunæ.*

Hoc item anno Renatus Dux Ande- *Sanmarth.*  
gavensis, & Siciliæ Rex Ordinem mi- *Hist Franc.*  
litarem instituit Andegavi in Ecclesia S. *l.ii.cap.4.in*  
*Mauritii*, quem *crescentis Lunæ*, seu Ordin-  
em Andegavensem appellavit. Scri-  
ptorum nonnulli hujus Ordinis incunabu-  
la ad annum millesimum quadringentesi-  
mum sexagesimum quartum referunt,  
forte quia ejus statuta nonnisi sexto deci-  
mo ex post anno condita fuere. Rena-  
tus præ modestia nonnisi hujus Ordinis  
*Fautor vocari voluit*, supremi capitis ac  
Patroni honorem Sancto Mauritio ce-  
dens. Equites numerabantur numero  
quinquaginta, qui sub brachio dextro lu-  
nam crescentem deferrent cum hoc lema  
*Loz en croissant*, quod significat, *loz*,  
*laus* sive *præconium crescendo in virtutibus* acquiritur. Quæ verba literis cæ-  
rulei coloris incisa legebantur, totidem  
aureis ligularum capitibus encausto ru-  
bro depictis, quot vitæ discrimina Ordi-  
nis Equites generose subierant, e luna  
crescente pedentibus. Proin militum  
forti-